



*M*IRA est in VIRGINIA cymbas fabricandi ratio: nam cum ferris instrumentis aut aliis nostris similibus careant, eas tamen parare nesciunt nostris non minus commodas ad nauigandum quo lubet per flumina & ad piscandum. Primum arbore aliqua crassa & alta delecta, pro cymba quam parare volunt, magnitudine, ignem circa eius radices summa tellure in ambitu struunt ex arborum musco bene resiccato, & ligni assulis paulatim ignem excitantes, ne flamma altius ascendat, & arboris longitudinem minuat. Pene adusta & ruina minante arbore, nouum suscitant ignem, quem flagrare sinunt donec arbor sponte cadat. Adustus deinde arboris fastigio & ramis, ut truncus iustam longitudinem retineat, tignis transuersis supra furcas positus imponunt, ea altitudine ut commode laborare possint, tunc cortice conchis quibusdam adempto, integriorem trunci partem pro cymba inferiore parte seruant, in altera parte ignem secundum trunci longitudinem struunt, praeterquam extremis, quod satis adustum illis uidetur, restincto igne conchis scabunt, & nouo suscitato igne denuo adurunt, atque ita deinceps pergunt, subinde urentes & scabentes, donec cymba necessarium alueum nata sit. Sic Domini spiritus rudibus hominibus suggerit rationem, qua res in suum usum necessarias conficere queant.